

virtute reparationem exigere juberetur, condonatio valida quidem, sed illicita esset : quare diffamator jam non ex justitia, sed ex caritate vel alia virtute famam restaurare deberet. Manifestum est nullam fore condonationem quam faceret diffamatus quoad alios, ex. gr. complices, secum diffamatos. (Lugo, l. c. n. 38)

5° Grave detrimentum quod diffamatori e restitutione imminet : quae causa tamen non excusat nisi quamdiu perstat. Oportet nempe ut hoc detrimentum longe superet illud quod diffamatus e dilatione vel omissione restitutionis passurus sit, vel ut timeatur grave damnum in bonis ordinis superioris. Cfr. n. 557.

6° Si diffamatus et ipse detractoris famam laesit, nec restituere vult : tunc saltem licet restitutionem differre donec alter restituat. Ratio est quod non cogaris jus suum alteri reddere, si ille recuset tibi reddere tuum. Ita S. Alph. (n. 999) contra Lugo. (l. c. n. 44 seqq.)

7° Impotentia physica et moralis, ut si jam reperire nequeas eum cui crimen narrasti, vel certo praevideas auditores retractationi fidem adhibituros non esse.

564. IV. Honori reparando eadem fere applicanda sunt quae modo de restituenda fama statuta sunt. Videlicet :

1° Quod spectat ad *fundamentum obligationis*, dubium non est quin restituendum sit pro infamia quae saepe contumeliam comitatur, ut si alium publice colaphis cecidisti. Immo, etiamsi nulla infamia secuta est, puta quia contumelia occulta fuit, communis sententia tenet restitutionem faciendam esse praecise propter debonationem, quia ex contumelia praeterita, quamdiu contumeliosus non satisfecit, aliquod damnum censetur permanere in eo qui contumelia affectus est. (Lugo, disp. 15. n. 54 seqq.) Aliqui tamen, ut Molina (t. 5. disp. 46. n. 5 seqq.), opinantur eum qui occulte contumeliam intulit teneri tantum ex caritate ad satisfactionem exhibendam ut cum fratre reconcilietur, nisi per accidens e contumelia maneat laesio famae.

2° De *modo* quo honor sit restituendus, generice dici potest : requiri ut, iudicio prudenti, sufficiat ad manifestandam aestimationem internam de dignitate personae offensae, non obstante manifestatione contraria per injuriam exhibita. (Lugo, l. c. n. 57) Nempe requiritur aliqua honoris significatio quae, spectatis personis, adjunctis, consuetudinibus, sufficiat ad reparandum detrimentum illatum. Quod communi et prudenti aestimatione, non autem irrationabili personae laesae exigentia, mensurandum esse liquet.

Ideo qui aliis superiores sunt, ut parentes filiis, heri famulis, etc. raro ad veniam ab inferioribus petendam tenentur : nam, e communi aestimatione, plerumque satis contumeliam a se illatam reparant, dum

peculiare aliquod benevolentiae signum inferioribus exhibent, ex. gr. amice alloquendo vel invisendo.

Aequales autem vel inferiores generatim tenentur ad veniam petendam a persona laesa, nisi haec minori satisfactione, ex. gr. amica allocutione, salutatione qua praeveniatur et similibus, contenta esse velit. Etiam in casu atrocis injuriae, ut si quis virum nobilem publice fuste cecidit, nemo tenetur ad ampliorem satisfactionem : si laesus veniae petitione contentus non est, ad iudicem remitti potest. (Lessius, l. 2. c. 11. n. 145) Attamen Lugo (l. c. n. 57) et S. Alph. (n. 987) aliquid amplius in casu *atrocis* injuriae requiri posse opinantur.

3° *Causae excusantes* eadem fere sunt quae a fama restituenda excusant. Speciatim tamquam causa sufficiens habenda est, quod offensus nova injuria illata acceptam injuriam vindicavit. Ipse enim censetur hanc vindictam pro satisfactione sibi debita acceptare : offensus autem, dum pro hac nova injuria nullam vindictam sumit, videtur eo ipso recognoscere priorem suam culpam et significare aestimationem suam internam de dignitate personae offensae : quod et usus communis comprobatur. (Lugo, l. c. n. 59)

4° Sapienter advertit S. Alph. (n. 988) multoties expedire ut confessarius omittat monere poenitentem, in bona fide existentem, de satisfactione praestanda, quando praevidet poenitentem forte promissurum, sed postea, difficultate deterritum, satisfacturum non esse (ut facile contingit); vel si probabile est periculum ne, in actu satisfactionis, odia inter offensum et offensorem renoventur, etc.

§ 3. DE HOMICIDIO ET MUTILATIONE.

565. E mutilatione vel homicidio nocumentum in triplici bonorum genere inferri potest : in bonis corporalibus, in spiritualibus, in temporalibus.

I. Damna corporalia non sunt probabilius per bona alius generis compensanda, ex principio generali supra (n. 561) posito. Aequum tamen est ut plerumque confessarius aliquid laeso elargiendum in poenitentiam imponat. (S. Alph. n. 627)

II. Damna spiritualia occiso illata, ex. gr. eo quod caruit suffragiis quae testamento jussisset pro se fieri, videntur orationibus et suffragiis, quantum fieri potest, reparanda : haec enim reparatio est in eodem genere cum jure laeso. (Lugo, disp. 11. n. 3)

566. III. Damna temporalia, seu in bonis fortunae, e mutilatione vel homicidio secuta, ad duplicem classem pertinent: alia directe ipsi mutilato vel occiso, alia personis cum eo varia ratione constrictis inferuntur.

1° Damna *ipsi mutilato vel occiso illata* consistunt in expensis faciendis ad curandum morbum e vulneratione secutum et in lucro cessante seu damno emergente, eo quod labori vel negotiationi vacare non potuit: quod impedimentum interdum per totam vitam durare potest. E principiis generalibus de restitutione liquet haec damna esse ab homicida vel mutilatore compensanda, quatenus ea in confuso praevitavit. Insuper, si moritur damnificatus, restituendum erit ejus heredibus, quippe qui in omnia ejus jura succedant; si moritur damnificans, ejus heredes restitutionem facere tenentur, cum sit onus reale ejus bonis inhaerens, etiamsi ipse a iudice punitus fuerit: haec enim poena minime reparat damnum heredum. (S. Alph. n. 634) Hi tamen saepe, praesertim si reus poenam capitalem subiit, sponte remittunt damna parvi momenti, nisi et ipsi pauperrimi sint. (Lugo, l. c. n. 49)

Ut determinetur valor compensationis praestandae pro lucro cessante, ex. gr. quia negotiator mutilatus per totam vitam quaestuosae negotiationi quam exercebat ineptus evasit, advertendum hic agi de compensando jure ad rem (n. 514), ac proinde saepe difficilem fore aequam aestimationem. Quare semper suadendum erit ut cum iis quibus restituendum sit compositio ineatur. (Ball. P. n. 278) Manifestum est damna ipsi mutilato vel mortaliter vulnerato illata ab eodem condonari posse.

2° Inter damna *quae aliis personis e patrato scelere sequuntur*, certo reparanda sunt ea quae patiuntur occisi vel mutilati parentes, uxor et liberi, qui ab illo alimenta accipiebant, nec aliunde habent quo se sustentent. Ratio praecipua hujus obligationis haec esse videtur, quod hae personae, propter strictissimum nexum quo cum mutilato vel occiso ligantur, velut unum cum eodem faciunt: quare detrimentum ipsis illatum, saltem quoad alimenta quae e stricta pietate ipsis a patre, filio vel marito debentur, *per se* connexum est cum vulneratione aut occisione. (Lugo, l. c. n. 81) Probabilius alia etiam damna, propter eandem rationem, iisdem personis resarcienda sunt, etiamsi aliunde habent quo se sustentent. Nihilominus, saltem extrinsece probabilis est sententia quam tenent S. Alph. (n. 631), Gury (l. n. 726), D'Annib. (II. n. 286): iis danda esse dumtaxat alimenta, quatenus et quamdiu egent.

Probabilius reliquis personis quae ex occisione vel mutilatione damnum patiuntur, restituendum non est, nempe reliquis consanguineis, etiam fratribus vel sororibus, pauperibus quibus solebat opem ferre occisus vel mutilatus, ejus creditoribus, quibus solvendis jam impar fiat, etc. Ratio generalis haec est: quod cum isti non ita moraliter unum

cum persona laesa constituent, damnum eorum *per accidens* tantum sequitur; justitia autem non obligat ad vitanda ea quae tantum remote et per accidens aliis nocere possunt. Communis tamen sententia obligat ad restitutionem iis omnibus faciendam, quando homicida directe per scelus suum iis nocere intendit (Lugo, l. c. n. 77 seqq.; S. Alph. l. 4. n. 632 etc.): quia proximus jus strictum habet ne aliquid agamus unde, etiam per accidens, detrimentum pati possit, ad eum praecise finem ut ipsi noceatur. Nihilominus, cum Bonacina, Salmant. Buccer. (de 7° Praec. n. 522), etc. probabilem censemur sententiam quae hanc distinctionem inter directam intentionem et meram praevisionem rejicit: eo quod intentio interna nequit influere in naturam causae, quae manet semper per accidens tantum cum damno conexas. Cfr. 517.

Quando restitutio faciendae est pro damnis in futurum pendentibus, iterum attendendum est ad minorem valorem juris ad rem, ad probabile tempus quo defunctus victurus fuisset et suis alimenta suppeditasset, etc. Practice, ut supra dictum est, tentetur compositio.

Controvertitur inter DD. num damnificatus possit *solvere ab hac obligatione erga tertias personas* eum a quo vulneratus fuit. Affirmat S. Alph. (n. 630) cum plerisque. Rationem afferunt, quod jus ad restitutionem tertiis personis non acquiritur nisi per eum qui laesus est: quare, si ipse jus remittit, nihil acquirunt, licet forte contra pietatem peccaverit, puta renuntiando restitutioni qua uxor vel filii ad honestam sustentationem indigeant. Probabilius tamen opinatur Lugo (l. c. n. 63) cum Ball. P. (n. 289) aliisque, haec damna a patre, marito, filio condonari non posse: quia jus ad illam compensationem non acquiritur ipsi occiso, nec ab illo derivatur ad alios, sed immediate acquiritur aliis quibus singulis injuria illata est. In praxi igitur restitutio imponi nequit, dummodo de condonatione certo constet. Sed notandum de ea non constare ex eo tantum quod mortaliter vulneratus testatur se ignoscere interfectori: regulariter enim his verbis significat tantum se, juxta legem caritatis, nullo odio illum prosequi. (Lugo, l. c. n. 60)

567. QUAER. E quamam vulneratione vel occisione illae restituendi obligationes oriuntur.

RESP. E generalibus principiis de restitutione patet eas numquam existere nisi cum hae laesiones constituunt grave peccatum contra justitiam commutativam: unde ad nihil sane tenetur qui aggressorem, servato moderamine inculpatae tutelae interimit. De duobus tamen casibus dubia quaedam expedienda sunt:

1° Si quis, cum gravi culpa theologica, *moderamen inculpatae tutelae excedens*, aggressorem occidit, plerique, ut Lugo (l. c. n. 50) et S. Alph.

(n. 637), eum obligant ad totum damnum reparandum, utpote plene voluntarium; alii, ut Lessius (l. 2. c. 9. n. 135), censent eum teneri quidem ad damnum reparandum, sed in parte multo minori, eo quod aequitas naturalis non sinit eum tractari sicut eum qui, nullo provocante, occidit; alii tandem, ut Billuart (Diss. 10. a. 11. § 3), Carrière (de Just. et J. n. 1343), Marres (l. 2. n. 263) etc., non improbabiler opinantur eum ad nihil teneri: quia injustus aggressor sciens volens se exponit periculo mortis, cum probe sciat invasum nihil non tentaturum adversus ipsum et aegerrime servaturum esse moderamen; scienti autem et volenti non fit injuria.

2° Quando unus *ad duellandum* provocat et alter libere acceptat, neuter ad restituendum tenetur, si adversarium occidit: singuli enim libere se hujusmodi damnis exponunt ideoque ea implicite condonant. At si unus provocat, alter vero non sponte, sed ad grave damnum vitandum acceptat et occiditur, provocans ad restitutionem tenetur: provocatum enim tantummodo per vim et metum ad illud periculum adendum coegit. (Lugo, l. c. n. 66 seqq.; S. Alph. n. 638)

§ 4. DE FORNICATIONE VEL STUPRO.

568. I. De restitutione facienda quando nulla praecessit matrimonii promissio.

1° Ad nihil prorsus tenetur qui virginem consentientem defloravit vel eam precibus importunis ad consentiendum induxit, immo neque si vim adhibuit ad eam tangendam, osculandam etc., non autem ad copulam extorquendam. (Ball. P. n. 301) Nam, in priore casu, scienti et volenti non fit injuria; in posteriore, nullum damnum reparabile infertur invitae. Similiter probabilius ad nihil tenetur erga parentes: quia filia ipsa potest, sine injuria parentum, impedimentum ponere ad meliores vel faciliores nuptias: quare nec deflorator, qui cum puellae consensu hoc impedimentum posuit, parentibus injuriam facit. (Lugo, disp. 12. n. 8)

2° Ad damna compensanda tenetur qui mulierem vi oppressit vel consensum ad copulam extorsit precibus quae coactioni aequiparentur, eo quod cum minis vel metu reverentiali conjunctae sint, puta si herus urget ancillam.

3° Nihil est restituendum pro sola virginitatis amissione: quippe quae reparari nequeat, neque probabilius, ante sententiam judicis, bonis alius ordinis compensanda sit. (n. 561) Ideo si stuprum occultum manet aut non impedivit quin aequae laute puella nuberet, ad nihil tenetur stuprator.

4° Qui virginem injuste defloravit, tenetur ad compensandum dam-

num quod puella passa est eo quod, ob deflorationem vel famae jacturam, difficilius maritum inveniat. Haec autem reparatio duplici ratione fieri potest: vel eam in uxorem ducendo, vel augendo dotem, aliterve procurando ut aequae bene nubat ac nupsisset si non fuisset deflorata. (Lugo, l. c. n. 11) Idem dicendum si femina, quae virgo non erat, e stupro tamen simile damnum passa est. (Lugo, ib. n. 15)

5° Non satisfacit deflorator semetipsum in conjugem offerendo, sed poscenti mulieri tenetur ea suppeditare quae necessaria sunt ut ei quem maluerit nubat, sicut ante deflorationem nupsisset. (Lugo, ib. n. 12)

6° Si fornicator pecuniam offert ad complementum dotis, mulier autem eam accipere recusat, sed matrimonium ab eodem exigit, is probabilius non tenetur eam ducere, nisi forte iudex ecclesiasticus id ei in poenam imponat. Nam justitia exigit tantum ut res ad aequalitatem reducantur: ideo satisfacit fornicator offerens pecuniam qua puella possit nubere sicut ante stuprum illatum nupsisset. (Lugo, ib. n. 14; S. Alph. n. 648)

7° Si ex copula injuste extorta natus est infans, fornicator solus expensas in eo alendo factas compensare tenetur.

569. II. De restitutione facienda quando praecessit matrimonii promissio.

Qui copulam a virgine vel vidua bonae famae per matrimonii promissionem obtinuit, tenetur ad eam ducendam. Ratio est, quod contractu oneroso se obligavit ad rem quam licite exsequi poterat. Cfr. n. 584, ubi universim dicitur de obligatione implendi contractum turpem, quando opus illicitum jam positum est. Idem valet etiamsi promissio fidei seu sine animo se obligandi facta est: quia regulariter hac tantum ratione deceptor adaequate compensabitur] damnum virgini illatum, dum tali fraude consensum et copulam ab ea obtinuit. Cfr. n. 585.

Attamen plures dantur casus in quibus fictus promissor matrimonium omittere potest. Praecipui sunt:

1° Si puella facile potuit advertere promissionem non fieri ex animo, puta quia promittens usus est verbis ambiguis, quia novit fornicatorem esse multo melioris condicionis, etc. In illo enim casu videtur puella sponte decipi voluisse. Ideo probabilius neque ad damna compensanda tenetur fornicator. (S. Alph. n. 643)

2° Si fornicator *multo melioris* condicionis est, licet hanc inaequalitatem condicionis ignoraverit mulier consentiens. Hanc sententiam valde probabilem habet S. Alph. (l. c.) cum plerisque. Ratio est, quod vir non tenetur ad plus reddendum quam mulier petiit; mulier autem, viri condicionem ignorans, nihil aliud petiit quam ut alter ejusdem suae condicionis vel parum excedentis eam duceret.

3° Si malus exitus e matrimonio timetur, ut si puella cognoscatur esse nimis levis. (S. Alph. n. 644)

4^o Si vir feminam cognovit, existimans eam esse virginem, sed corruptam invenit : quo casu, neque alia compensatio per se facienda est, sed tantum si pactum aliquid dandi praecessisset vel si mulier ex illa copula, per fornicatorem vel fortuito vulgata, infamiam passa esset. (S. Alph. n. 646)

Ceterum hic conferenda sunt quae de causis excusantibus ab obligatione sponsalium dicentur Vol. II. n. 446 seqq. Haec enim a fortiori excusant ab implenda nuda promissione matrimonii.

§ 5. DE ADULTERIO.

570. I. De personis quibus incumbit restitutio damnorum quae ex adulterio sequuntur, praecipue haec notanda sunt :

1^o Si adulter consensum a muliere extorsit, solus tenetur ad reparandum damnum quod inde in maritum, filios legitimos, etc. derivatur.

2^o Si uterque in adulterium consensit, uterque tenetur in solidum.

3^o Si maritus adulterae consensit, cessat omnis obligatio restituendi, dummodo heredibus necessariis maneat sua pars legitima. (D'Annib. II. n. 281)

4^o Posset interdum sola adultera ad damna compensanda teneri : nempe si facile damna mariti et filiorum legitimorum vitare potuisset, prolem adulterinam extra familiam alendo, adulter vero fecit quidquid potuit ut illam ad hanc separationem induceret, atque ita causam damni a se positam efficaciter retractavit : quae tamen hypothesis rarissime verificabitur. (Marres, l. 2. n. 305)

5^o Nulla restitutio facienda est quando dubitatur utrum filius sit legitimus an spurius : nam propter matrimonium ipse praesumendus est legitimus donec contrarium certo constet. Ita communis sententia. (Lugo, disp. 13. n. 17) Immo, etiam ubi certo constat prolem esse adulterinam, sed dubitatur quis e duobus adulteris qui cum matre rem habuerint sit illius pater, probabiliter neuter ad restituendum tenetur. (n. 521)

571. II. Damna ab adulteris compensanda ea sunt quae *per se* ex eorum scelere proveniunt, ut sunt expensae quas maritus facit in alenda et educanda prole adulterina, et detrimenta quae alia familiae membra patiuntur eo quod filius spurius ex ipsa legis dispositione partem cum iis in hereditate patris aliorumve consanguineorum obtineat.

Non sunt autem compensanda damna quae *per accidens* tantum ex eadem causa proveniunt, ex. gr. si aliqui consanguinei, ex affectu erga spurium, ei quaedam donant vel testamento relinquunt. (Lehmk. I. n. 998)

Ipse filius adulterinus, si certo novit suam condicionem, nequit sine injustitia retinere vel hereditatem lege delatam, ut patet, neque ipsas donationes sibi unice tamquam legitimo factas, ac proinde ob substantialem errorem invalidas. Retinere tamen posset dona exigui valoris vel quae ipsi principaliter propter alias rationes tribui videantur.

III. De modo quo restitutio haec saepe perdifficilis peragatur, animadvertenda sunt praecipue sequentia :

1^o Licet a DD. quidam casus recenseantur in quibus adultera crimen suum manifestare teneatur ad vitanda damna ex eo secutura (cfr. Lugo, l. c. n. 31 seqq.), tamen practice vix umquam exstabit huiusmodi obligatio. Ratio est, quod ista manifestatio plerumque afferret damna tanta ut a bonis fortunae restituendis excusarent, nempe odium mariti, discordias domesticas, gravem infamiam. Insuper eadem plerumque foret inefficax : nam, ut habet Lugo (l. c. n. 62) cum communi sententia, filius non tenetur credere matri asserenti ipsum esse illegitimum, nisi cum adsunt talia motiva ut in foro externo a iudice admitterentur, quod certe non contingit quando opus est ut ipsa adultera rem occultam manifestet. (Ball. P. n. 316) Tandem interdum merito supponere poterit adultera maritum et filios malle ut ipsa crimen suum ipsis non manifestet, cum hoc fieri nequeat sine communi dolore et infamia et saepe sine fructu. (Lugo, l. c. n. 58)

2^o Seclusa hac manifestatione, debet adultera restitutionem facere praesertim augendo, pro condicione sua, laborem vel industriam in familia administranda, aut sumptus suos minuendo. Insuper, si propria bona habet, de iis in favorem mariti et legitimae prolis disponat : cavendum tamen, ne favendo quibusdam cum spurii detrimento, suspicionem criminis ingerat vel odia excitet. (Ball. P. n. 321)

3^o Saepe adulter quoque a restitutione excusabitur in toto vel ex parte, praesertim quia haec fieri non poterit sine periculo vitae, dispendio famae, turbatione et discordiis familiarum. (S. Alph. n. 655)

§ 6. DE TRIBUTIS.

572. NOTIONES. Tributorum nomine hic veniunt quaecumque cives solvere jubentur ut communi necessitati vel utilitati contribuant. Distinguuntur, saltem in nostris regionibus, tributa directa et indirecta. *Directa* sunt ea quae primario afficiunt personas, sive ratione bonorum immobilium et facultatum (contributions foncière et personnelle), sive ratione industriae vel commercii (patente). *Indirecta* vero sunt ea quae immediate afficiunt bona. Haec pendenda sunt occasione mutationis